

unius rei fastidium parit; per hoc autem quod diversos Sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur. Tertio, quia quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem infernalem. Quarto, ut honor debitus omnibus exhibeatur. Quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetraretur.

Ad tertium dicendum, quod oratio est actus quidam; actus autem sunt particularium suppositorum: & ideo si diceremus, *Christe ora pro nobis*, nisi aliquid adderetur, videremur hoc ad personam Christi referre: & ita videretur esse consonum vel errori Nestorii, qui distinxit in Christo personam Filii hominis à persona Filii Dei; vel errori Arii, qui posuit personam Filii minorem Patre. Unde ad hos errores evitandos Ecclesia non dicit, *Christe ora pro nobis*, sed *Christe audi nos*, vel *Miserere nobis*.

Ad quartum dicendum, quod, sicut infra dicitur, non dicuntur Sancti preces nostras Deo representare, quasi ei incognita manifestent; sed quia eas exaudiri à Deo petunt, vel de eis divinam consulunt veritatem, quid scilicet secundum ejus providentiam fieri debeat.

Ad quintum dicendum, quod ex hoc ipso aliquis efficitur dignus ut Sanctus aliquis pro eo oret, quod ad ipsum cum pura devotione in sua necessitate recurrit; & ita non est superfluum quod Sanctos oremus.

ARTICULUS III.

Utrum orationes Sanctorum pro nobis ad Deum fuse semper exaudiantur.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod orationes Sanctorum pro nobis ad Deum fuse non semper exaudiantur. Si enim exaudirentur, maxime exaudirentur Sancti de his quæ ad eos pertinent. Sed de his non exaudiantur: unde dicitur Apocalyp. vi. quod Martyribus perentibus vindictam his qui sunt super terram, dictum est ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec impleretur numerus fratrum suorum. Ergo multo minus exaudiantur de his quæ ad alios pertinent.

2. Præterea. Hierem. xv. i. dicitur: *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Sancti non semper exaudiantur, cum pro nobis orant ad Deum.

3. Præterea. Sancti in patria æquales Dei Angelis esse commemorantur, ut patet Matth. xxii. Sed Angeli non semper exaudiantur in suis orationibus quas fundunt ad Deum; quod patet ex hoc quod habetur Daniel. x. 12. ubi dicitur: *Ego veni propter sermones tuos: Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus.* Non autem venerat in adiutorium Danielis Angelus qui loquebatur, nisi à Deo liberationem eorum petendo; & non est impetrata orationis ejus impletio. Ergo nec etiam alii Sancti orantes pro nobis apud Deum semper exaudiantur.

4. Præterea. Quicumque oratione impetrat aliquid, quodammodo meretur illud. Sed illi qui sunt in patria, non sunt in statu merendi. Ergo non possunt suis orationibus nobis aliquid impetrare apud Deum.

5. Præterea. Sancti per omnia conformant voluntatem suam voluntati divinæ. Ergo non volunt nisi quod sciunt Deum velle. Sed nullus orat nisi quod vult. Ergo non orant pro eo nisi quod sciunt Deum velle. Sed hoc quod Deus vult, fiet eis etiam non orantibus. Ergo eorum rationes non sunt efficaces ad aliquid impetrandum.

6. Præterea. Orationes totius cœlestis curiæ, si aliquid impetrare possunt, efficaciores essent quam omnia præsentis Ecclesiæ suffragia. Sed multiplicatis suffragiis præsentis Ecclesiæ factis pro aliquo in purgatorio existente, totaliter absolveret à pœna. Cum ergo Sancti qui sunt in patria, eadem ratione orent pro illis qui sunt in purgatorio, sicut & pro nobis; si nobis aliquid impetrant, illos qui sunt in purgatorio totaliter orationes eorum à pœna absolverent; quod falsum est, quia sic suffragia Ecclesiæ pro defunctis facta superflua essent.

Sed contra est quod habetur II. Machab. ult. 14. *Hic est qui multum orat pro populo, & pro universa civitate Hieremias Propheta Dei.* Et quod ejus oratio sit exaudita, patet per hoc quod sequitur, quod extendit Hieremias dexteram, & dedit Judæ gladium, dicens: *Accipe Sanctum gladium munus à Deo in quo deficiet adversarios populi Dei.*

Præterea. Hieronymus in epistola contra Vigilantium: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo orare pro nobis possumus: & hoc postea improbat, dicens sic: Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?*

Præterea. Ad hoc est consuetudo Ecclesiæ, quæ frequenter petit ut Sanctorum orationibus adjuvetur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant; alio modo oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia, & orationes quædam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam perere. Utroque autem modo Sanctorum orationes sunt, quantum est in ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt; sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non assequamur fructum orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita ipsorum nobis proficiunt; sed secundum quod orant pro nobis, votis suis nobis aliquis postulando, semper exaudiantur, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri: quod autem Deus simpliciter vult, impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam vult omnes homines salvos fieri, quæ non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impletur.

Ad primum ergo dicendum, quod illa oratio Martyrum non est aliud quam eorum desiderium de obtinenda stola corporis, & societate Sanctorum qui salvandi sunt, & consensus quo consentiunt divinæ justitiæ punienti malos: unde Apoc. vi. super illud: *Usquequo Domine &c.* dicit Glossa: „Desiderant majus gaudium, & consortium Sanctorum, & justitiæ Dei consentiunt.“

Ad secundum dicendum, quod Dominus loquitur ibi de Moyse, & Samuele secundum statum quo conferunt in hac vita: ipsi enim leguntur pro populo orantes iræ Dei restitisse, ut Glossa interlinealis dicit: & tamen si illo tempore fuissent, non potuissent, orationibus Deum placare ad populum propter populi illius malitiam: & hic est intellectus litteræ.

Ad tertium dicendum, quod pugna bonorum Ange-

gelorum non intelligitur ex hoc quod apud Deum contrarias orationes runderent, sed quia contraria merita ex diversis partibus ad divinum examen referentur, divinam sententiam expectantes; & hoc est quod Gregorius dicit XVII. Moral. cap. viii. exponens prædicta verba Danielis: *Sublimis spiritus gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus decertant, si eorum facta recte judicantes examinant; cumque uniuscujusque gentis vel culpa, vel justitia ad supernæ curiæ solium ducitur, ejusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur: quorum tamen omnium una victoria est super se opificis voluntas summa; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, (1) nequaquam volunt: unde nec petunt.* Ex quo & patet quod orationes eorum semper audiuntur.

Ad quartum dicendum, quod licet Sancti non sint in statu merendi sibi postquam sunt in patria, sunt tamen in statu merendi aliis, vel potius ex merito præcedenti alios juvandi: hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur post mortem. Vel dicendum, quod oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adæquatione actus ad finem propter quem est, qui ei quasi merces redditur, sed orationis impetratio inicitur liberalitati ejus qui rogatur, quod tamen ipse non meruit, & ita quamvis Sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur, quod non sint in statu impetrandi.

Ad quintum dicendum, quod, sicut ex auctoritate Gregorii inducta patet, Sancti non volunt, vel Angeli nisi quod in divina voluntate conspiciunt; & ita etiam nihil aliud petunt: nec tamen eorum oratio est instructuosa: quia, sicut dicit Augustinus in Lib. de prædestinatione Sanctorum, orationes Sanctorum prædestinatis prosunt, quia forte præordinatum est ut orationibus intercedentium solvantur: & ita etiam Deus vult ut orationibus Sanctorum impieatur illud quod Sancti vident eum velle.

Ad sextum dicendum, quod suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quasi quædam satisfactiones viventium vice mortuorum; & secundum hoc mortuos à pœna absolvunt, quam non solverunt. Sed Sancti qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi; & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ.

EXPOSITIO TEXTUS.

CUM facta fuerit resurrectio, bonorum gaudium amplius erit &c. Hoc intelligendum est materialiter, quia de pluribus gaudebunt; sed non formaliter, quia non magis gaudebunt, ut dictum est. Sed de hoc magis infra dicitur dist. xlii.

Nam qui sine fide operante per dilectionem, ejusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis officia impenduntur. Secundum hoc

DISTINCTIO XLVI.

Si valde malis detur mitigatio pœnæ.

SED queritur hic de valde malis, utrum & ipsi in aliqua pœnarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, ut minus quam meruerint, puniantur. Quidam autem eos nullam revelationem pœnæ habituros, quod confirmant Jacobi auctoritate, dicens, cap. 11. 13. „Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam.“

(1) Nicolai: numquam.

videtur quod suffragia Ecclesiæ non prosunt catechumenis in fide Ecclesiæ decedentibus; cum tamen illi sint in statu salutis, ut patet ex dictis supra dist. iv. Et dicendum, quod licet non susceperint sacramenta Ecclesiæ actu, susceperunt tamen voto, quod pro facto computatur, cum deest facultas.

Mediocriter malis suffragantur &c. Ista verba à diversis diversimode exponuntur. Illi enim qui dicunt suffragia Ecclesiæ prodesse existentibus in inferno, dicunt alios esse mediocriter bonos, & alios mediocriter malos. Dicunt enim valde malos esse eos qui sine fide, & sacramentis Ecclesiæ decesserunt; & his dicunt nihil prodesse suffragia: sed mediocriter malos eos qui cum fide, & sacramentis Ecclesiæ, in peccato tamen mortali, decesserunt; quibus secundum eos valent suffragia ad pœnæ mitigationem, non autem ad pœnæ solutionem. Sed valde bonos dicunt illos qui sine criminali decedentes, statim evolant; qui suffragiis non indigent: mediocriter vero bonos qui cremabilia secum ferunt, & in purgatorio detinentur; & his dicunt prodesse suffragia ad plenam absolutionem. Qui vero dicunt suffragia non prodesse his qui sunt in inferno, dicunt eosdem esse mediocriter malos, & mediocriter bonos. Omnes enim qui sunt in inferno valde malos dicunt, qui vero in patria valde bonos; eos vero qui sunt in purgatorio dicunt mediocriter bonos, in quantum deficiunt à perfectione bonitatis, sed & mediocriter malos, in quantum deficiunt à perfecta malitia, quæ est peccatum mortale. His autem suffragia quandoque prosunt ad mitigationem pœnæ, quandoque ad plenam absolutionem secundum differentiam quantitatis cremabilium, & suffragiorum: & hæc expositio est convenientior.

Injuria est pro Martyre in Ecclesia orare. Hoc videtur contra illud quod supra dictum est, quod orationes pro valde bonis sunt gratiarum actiones. Et dicendum, quod superior auctoritas loquitur, quando incertum est nobis, quando sint valde boni, pro quibus oratur; hic autem Augustinus loquitur, quando certum est qui sunt valde boni: sic enim qui pro eis orat, quodammodo eos indigentes ostendit, & sic eis injuriam facit.

Æstimo eum quasi per ignem transuentem &c. Hic ponuntur duo auxilia: quorum unum adjuvabit illos qui in fine mundi invenientur per modum satisfactionis, scilicet ignis quo facies mundi purgabitur; poterit enim esse ut intensio pœnæ suppleat quicquid deest ad temporis breviteratem, & præcipue eum sit probabile quod pauca cremabilia sint habituri, utpote purgati per terrorem futuri iudicii ex signis præcedentibus præstenti. Aliud autem est ex vi charitatis, scilicet merita, & intercessiones Sanctorum, quæ eis suffragantur virtute charitatis.

Sive consulendo quid faciant &c. Istud consilium nihil est aliud quam conversio eorum ad Deum, ut ab eo illuminationem percipiant de agendis.

cordiam. Augustinus etiam ait: (a) „Misericordia hic, iudicium in futuro.“ Idem (b) distinguens quomodo omnes viæ Domini sint misericordia, & veritas, ait: „Erga Sanctos omnes viæ Dei misericordia, erga iniquos omnes veritas: quia & in iudicando subvenit, & ita non deest misericordia; & in miserando id exhibet, & veritas: quia ubi non miseretur, vindictæ veritas datur.“ Dicens: „Ubi non miseretur, dat intelligi aliquid à Deo fieri, ubi ipse non miseretur. Sed his occurrit quod ait Cassiodorus super Psalm. c. loquens de misericordia, & pietate Dei. „Hæc duæ, inquit, res iudicio Dei semper adjunctæ sunt. Ergo & in punitione malorum non est iustitia sine misericordia.“ Idem de iudicio, & misericordia ait: „Hæc duo multa societate sibi junguntur.“ In his breviter omnia opera Dei includit. Augustinus quoque respondens illis qui reprobos supplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, asserens reprobos perpetuo puniendos, ut eorum supplicia mitigari aliquatenus non neget. Frustra inquit in Enchir. cap. cxii. Nonnulli æternam (1) damnatorum poenam, & cruciatu sine intermissione perpetuos humano (2) miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt: non quidem Scripturis adversando divinis, sed proprio motu dura quæque molliendo, (3) & in leniorem flectendo sententiam quæ putantur in eis terribilius esse dicta, quam verius. Non enim, inquit, obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas. Hoc quidem in Psalterio, Psalm. lxx. 10. legitur; sed de his intelligitur qui sunt vasa misericordiarum: quia & ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes æstimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur finiri posse eorum de quibus dictum est (Matth. xv. 46.) Ibunt hi in supplicium æternum, ne hoc modo putetur habitura finem felicitas eorum de quibus è contrario dictum est (ibid.) Iusti autem in vitam æternam. Sed poenas damnatorum certis temporibus æstimant, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Et sic quippe intelligi potest manere ira Dei in illis, idest ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio, ut in ira sua, idest manente ira sua, non contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus: quia nec Psalmus ait: Ad finiendam iram suam, vel post iram suam; sed in ira sua: quæ si sola esset, alienari à regno Dei, & carere magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis tamen est poena ut ei possint nulla tormenta quæ novimus, comparari, si illa sit æterna; ista autem (4) sint quantumlibet multis sæculis longa. Manebit ergo sine fine mors perpetua damnatorum, (5) & ipsa omnibus erit communis, sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum. „Ecce ita asserit hic poenas reprobos non esse finiendas: quod non improbat, si dicatur eorum supplicio aliquod levamen adhiberi. Unde non incongrue dici potest, Deum etsi iuste id possit, non omnino tantum punire malos in futuro quantum meruerunt; sed eis aliquid, quantumcumque mali sint, de poena relaxare.“

Determinat præmissas auctoritates.

QUOD ergo dictum est, iudicium sine misericordia fieri illi qui non fecit misericordiam, ita intelligi potest quod iudicium damnationis fiet illi qui non fecit misericordiam, pro eo quod fuit sine misericordia; vel fiet iudicium ei sine misericordia liberante, & salvante, qui tamen in aliqua poenæ alleviatione misericordiam Dei sentiet. Ita cum dicitur: „Misericordia hic, iudicium in futuro,“ negatur quoniam in futuro sit misericordiarum effectus, & in electis: qui per misericordiam ab omni miseria liberantur, & in reprobis, qui minus quam meruerunt, cruciabantur. Sed hic non sine causa dicitur fieri Dei misericordia, & iudicium in futuro: quia & hic multis modis miseretur Deus quibus non miserebitur tunc. Vocat enim Deus nunc peccatores, & justificat, quod tunc non faciet: & tunc reddens singulis secundum merita sua, manifeste iudicabit, qui nunc occulte iudicat: cuius occultum iudicium, ut ait Augustinus, cap. 11. vel 111. (c) intelligitur poena, qua quisque vel exercetur ad purgationem, vel movetur ad conversionem, vel si contemnit, excrucietur ad damnationem. Occultum ergo iudicium Dei poena dicitur: (6) quia iudicat purgando, convertendo, vel excruciendo. Iudicia quoque Dei interdum appellantur dispensationes eius de omnibus rebus. Unde Rom. xi. 33. „Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!“ & Psalm. xxxv. 7. „Iudicia eius abysus multa.“ Iudicium autem quo in futuro iudicabit, intelligitur sententia iudicis, qua ventilabitur area; idest, dividetur localiter boni à malis ministerio Angelorum, & isti in vitam ducentur, illi in supplicium mittentur, qui nunc simul mixti sunt.

De iustitia, & misericordia Dei.

SED quodammodo iustitiam Dei, & pietatem, idest misericordiam, supra Cassiodorus duas esse res dixit, quæ semper adjunctæ sunt iudicio Dei? Iustitia enim Dei, & misericordia non duæ res sunt, sed una res, idest una divina essentia est, sicut supra pluribus auctoritatibus ostensum est. Quia non est Deo aliud esse misericordem quam misericordiam, nec iustum quam iustitiam; sed idem prorsus: nec aliud est ei esse misericordem quam iustum, vel misericordiam quam iustitiam; sed omnino idem: quia non denominative, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit Scriptura de operibus Dei quædam esse misericordiam, quædam iustitiam? Si enim iustitia Dei misericordia est, quæcumque sunt opera misericordiarum, esse videntur iustitiæ, & è converso. His responderi potest sic. Illis locutionibus quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiarum, alia iustitiæ, alia bonitati attribuantur, non diversitas subiacentis, idest rei his vocabulis significatæ, exprimitur; sed varietas sensuum, & effectuum in creaturis monstratur. Cum enim dicitur Deus iustus, vel iustitia; essentia divina præ-

(1) Al. damnatorum. (2) Al. miserentur. (3) Al. & in leniorem. (4) Al. Si quamlibet. (5) Nicolai addit idest alienatio à vita Dei. (6) Al. qua.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) In Psalm. c. nempe ad illa verba: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi. (b) In Psalm. cxviii. super octavarium XIX. conc. xxix. (c) In inscriptionem Psalm. ix. quæ est. In finem pro occultis filii.

dicatur, & etiam quod ipse sit distributor, & iudex meritorum intelligi datur. Ita & cum dicitur misericors, essentia divina prædicatur, & insuper quod ipse sit miserorum liberator intelligi datur. Similiter cum dicitur bonus, essentia divina prædicatur, (7) & insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Ita & cum dicitur Deus, essentia divina prædicatur, & ipse timendus ostenditur. Inde ergo quædam opera misericordiarum, quædam iustitiarum dicuntur, non quin divina essentia hæc & illa operetur, & quin hæc & illa sint opera divinæ essentiae, quæ dicitur misericordia, & iustitia; sed quia quædam sunt quibus iudex, & æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator: misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione; & in quibusdam operibus dicitur effectus esse misericordiarum, & in quibusdam effectus iustitiarum, non quod aliud efficiat iustitia, aliud misericordia Dei, si ad essentiam referas; sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur iudex, ex quibusdam miserator, vel, ut quibusdam placet, iustus, & misericors. Sed secundum hoc occurrit quæstio, quomodo ex aliis ostendatur iustus, & ex aliis misericors, cum sit idem ei esse iustum, & esse misericordem. Si enim secundum eandem rationem dicitur iustus, & misericors, ex eo opere quo intelligitur iustus, intelligitur misericors, & è converso. Sed dixi supra, quia cum dicitur Deus iustus, & misericors, ita eadem divina essentia significatur, & secundum ea idem prædicatur, ut etiam quædam diversa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum esse miseratorem, & iustum iudicem. Quod evidenter Origenes ostendit, dicens, hom. v. in Hierem. cap. viii. „Omnia quæ Dei sunt, Christus est, ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia. Sed cum unum sit in subiacenti, pro varietate sensuum diversis nuncupatur vocabulis. Aliud enim significat sapientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te divinarum, humanarumque rerum instruere intelligitur: quando iustitia, distributor, vel iudex meritorum insinuat: ita & prudentia cum dicitur, doctor, & demonstrator bonarum, vel malarum rerum, vel neutrarum intelligitur.“

Auctoritatibus probat quædam iustitiæ, alia misericordiarum, alia bonitati attribui.

QUOD autem quædam opera misericordiarum, quædam iustitiarum, quædam bonitati attribuantur, in Scripturis facile est reperire. Et de misericordia quidem, & iustitia manifestum est; de bonitate vero, & misericordia amplius later. Sed Augustinus (in Psalm. cxxv.) docet illa opera proprie ad misericordiam pertinere quibus aliqui à miseria liberantur: ad bonitatem vero non solum illa, sed facturam, & gubernationem naturalium, ita dicens: „Ad misericordiam pertinet quod à peccatis mundat, & de miseria liberat; ad bonitatem vero quod cælum, & terram, & omnia valde bona creavit ut essent.“ Idem (super Psalm. xxxi.) Cæli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria: in terra hominis abundat miseria, & superabundat Dei misericordia. Miseria ergo hominis, & misericordia Dei plena est terra, non cæli, qui non indigent misericordia; indigent tamen regente Domino: omnia enim indigent Domino & misera, & felicia: quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur.“ Item alibi (super Psalm. xxiv.) Misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet. Interdum misericordia large accipitur, ut bonitas.

Quomodo universæ viæ Domini dicantur misericordia, & veritas.

POST hæc considerari oportet quo sensu universæ viæ Domini dicantur misericordia, & veritas. Hoc multiplicem recipit expositionem. Universæ enim viæ Domini misericordia, & veritas, quibus ad nos venit, ut ait Augustinus super Psalm. xxiv. intelliguntur duo adventus. Primus, in quo manifestam, & multiplicem misericordiam nobis exhibuit; & secundus, in quo requirendo merita iustitiam exhibebit. Universæ etiam viæ Domini, idest quibus ad Dominum ascendimus, sunt iustitiæ quæ à malo declinamus, & misericordia qua bonum facimus: in his enim duobus omne bonum meritum includitur. Sed cum superius Cassiodorus dixerit, in his duobus omnia opera Dei includi, merito quæri potest, an in omni opere Domini hæc duo mutuo sibi jungantur. Quibusdam placuit non in omni opere Domini hæc duo concurrere, secundum effectum dico: nam secundum essentiam non dividitur misericordia à iustitia, sed unum est; verum secundum effectum non in omni opere Domini dicunt esse misericordiam & iustitiam; sed in quibusdam fatentur tantum misericordiam, & in aliis iustitiam, atque in aliis misericordiam, & iustitiam. Fatentur tamen, Dominum omnia quæ fecit, misericorditer agere, & iuste, referentes rationem dicti ad Dei voluntatem, quæ iustitia est, & misericordia; non ad effectus misericordiarum, & iustitiarum quæ sunt in rebus. Aliis autem videtur quod sicut dicitur Deus omnia opera sua iuste facere, & misericorditer, ita concedendum sit in omni opere Dei iustitiam esse, & misericordiam, idest clementiam secundum effectum, vel signum: quia nullum opus Dei est in quo non sit effectus, vel signum æquitatis, & clementiæ sive occulte, sive aperte. Aliquando enim manifesta est clementia, sive benignitas, & occulta æquitas; aliquando è converso.

DIVISIO TEXTUS.

POSTquam determinavit Magister de receptaculis animarum in quibus puniuntur, vel præmiantur ante resurrectionem communem, & iudicium generale, & de suffragiis quibus juvamus mortuos, vel juvamus ab eis; hic determinat de divina iustitia, & misericordia, quibus prædicta omnia dispensantur. Dividit autem in partes duas. In prima determinat de divina iustitia, & misericordia secundum ope-

rationem ad poenam damnatorum. In secunda determinat de eis in generali, ibi: Sed quomodo iustitiam Dei, & pietatem, idest misericordiam, supra Cassiodorus duas esse res dixit? Circa primum tria facit. Primo ostendit quod misericordia Dei in poenis damnatorum locum non habet. Secundo ostendit contrarium, ibi: Sed his occurrit quod ait Cassiodorus. Tertio determinat veritatem, ibi: Unde non incongrue dici potest etc. Circa quod tria facit. Primo proponit quid sit verum circa quæstionem prædictam. Secundo solvit auctoritatem quæ est in contrarium, ibi: Quod

(7) Al. properam additur: & cum dicitur Deus.